



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Concl. VIII. Ad valorem Sacramenti non requiritur intentio actualis, sed
sufficit virtualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

CONCLUSIO VIII.

Ad valorem Sacramenti non requiritur intentio actualis, sed sufficit virtualis.

114. Ante probationem adverto, non ita controverti inter Doctores de veritate hujus conclusionis, quam bene de ratione quiddam intentionis virtualis, aliquibus exigentibus tenuissimum ac consulum actum intellectus & voluntatis, qui vix percipiatur (sicut in expedito cytharado) quo volumus recitare verba vel operari: alii asserentibus continuari actionem sacramentalem cum solis actibus imaginativæ & appetitus materialis.

Scotus. Conclusionem docet Scotus 4. dist. 6. quæst. 6. num. 3. ibi: Nec requiritur in baptizante semper intentio actualis. Probat: quia non obligavit Deus hominem ad impossibile vel nimis difficile, cuiusmodi est non distrabi: S. August. quia secundum D. August. 3. de lib. arbit. cap. ultimo: Non est in potestate nostra, quin visis tangamur, nec etiam plis obligavit ministrum in illo actu, quam in exequendo actus aliorum Sacramentorum. In consiçiendo autem Eucharistiam, qua est excellentissimum Sacramentum, non obligavit hominem ad non distrabi, quin prius intendens celebrare, licet in proferendo verba sacramentalia distractus sit, vere tamen conficit.

Probatio Conclusio- nis ex iudicio totius Ecclesie. S. August.

Atque hoc est iudicium totius Ecclesie; ex quo optimè post Scripturam colligitur voluntas instituentis, quæ est ratio à priori. Siquidem (ut ait Aug. Epist. 118.) Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, dantur intelligi ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum in Ecclesia est saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.

115. Scotus. Ex his concludo (inquit Doctor Subtilis supra) quod sufficit in baptizante intentio virtualis, quam sic notificat: hoc est, quod aliquando habuerit intentionem actualem, ex qua descendit nunc verè actus baptizandi; sive in illo actu habeat intentionem actualem vel aliquam ex ea descendentem, sive non. Intellego autem, quod descendit iste actus absque omni motu voluntatis contrario interveniente. Igitur ex mente Scoti destruitur virtualis intentio per voluntatem contrariam, vel etiam per nimis longam interruptionem sive temporis moram, quæ æquivaleret retractioni; aut sapè per huiusmodi statum hominis, qui

Intentio virtualis destruitur per nimiam interruptionem, quæ æquivaleret retractioni.

non compatitur actionem humanam, puta somnum, ebrietatem, amentiam &c.

Neque enim per motum contrarium voluntatis intelligit Doctor solam expressam revocationem prioris voluntatis (quippe cum illa neque permanet intentio habitualis) sed omnem motum impossibilem cum isto actu, tam habitualem, quam actualem.

Colligo ex simili quod subjungit: Sicut (inquit) si induens se ad missam, intendens celebrare secundum usum Romana Ecclesie, & ex isto procedat continue, forte secundum aliquem habitum devotum in phantasia, cum magna distractione, vere facit ea, quæ necessaria sunt ad istum actum sacramentalem, qui est conficere.

Constat autem Sacerdotem interrompere suam intentionem per somnum, ita ut amplius non maneat virtualiter, etsi hoc faceret ut melius posset celebrare, quia v.g. jam non est bene dispositus. Ratio est: quia celebratio subsequens non descendit ex intentione illa actualem per actum aliquem humanum; quamquam sit moraliter impossibile, ut homo sanæ mentis & alicujus conscientie absque intentione actualem aut virtuali sacras vestes induat, ad altare accedat, & alia ad Sacrificium pertinentia peragat.

Interrumpitur per somnum.

Sed contra: Per somnum non interruptitur exterior actio hominis querentis suum inimicum, ut eum occidat: ipsum enim quiescere (inquit Arriaga disp. 43. de Vitijs n. 28.) iudicatur deserere ut melius possit deinde exequi intentum, id est, querere hostem. Similiter (ut ibidem docet hic Auctor) Sacerdos non interruptit suam volitionem celebrandi, etsi in via non nihil detineatur interrogando obvium amicum, quomodo valeat, & quid novi audiatur.

116. Obiectio.

Incipio ab ultimo, & respondeo: confabulatio de rebus impertinentibus tam protracta posset esse, ut etiam intentionem interrumpere; alioquin quod modicum est in moralibus, pro nihilo reputatur.

Responso prima.

Contra: Modicus somnus interruptit. Respondeo: fortè non. Deinde per somnum (ut dixi) homo constituitur in statu, in quo nequit proximè clicere actum humanum.

Unde dico ad primum, probabilius videri per ordinarium somnum moraliter discontinuari actiones ordinatas ad eandem v. g. occisionem, ita ut jam sint plura numero peccata specialiter in confessione explicanda, quæ, somno non intercedente, unicum dumtaxat constituerent.

117.

Respondeo II. negando consequentiam: plus enim videtur requiri ad intentionem virtuales necessariam pro valore Sacramenti

Responso secunda.

menti, quàm ad intentionem requisitam ad moralem continuationem plurium actuum externorum ad eundem finem tendentium; hæc siquidem continuatio pendet à morali hominum iudicio; plures autem docti iudicant somnum ad eundem finem conducentem non interrompere moraliter cæteras causas ejusdem effectus.

Porro ad Sacramentum requiritur talis intentio ex institutione Christi, quæ sufficiat ad operandum humano modo; ergo ad minus requiritur talis dispositio, cum qua possit consistere actio humana, non solum quando actio sacramentalis exercetur; sed etiam tempore intermedio. Et quamvis hæc disparitas evidenti & convincenti ratione non possit probari, sufficit nobis communis sensus Ecclesie, qui in his, quæ spectant institutionem Sacramentorum, maxime spectandus est, quando deest auctoritas Scripturæ, Traditionis & Conciliorum.

118. Hæc ergo erit ratio congruentiæ: quia videlicet intentio virtualis, quam asserimus, sufficit ad operandum humano modo; ad orationem quoque, vota, contractus, eorumque valorem ac meritum: ergo etiam ad consecrationem Sacramenti; & alioquin fideles infinitis perplexitatibus, & Sacramenta ipsa innumeris exponerentur sacrilegijs, quoniam (ut supra ex Scoto dixi) moraliter impossibile est non distrahi ob diversissima objecta occurrentia, & humani ingenij volubilitatem.

Studiosè tamen curare debet Sacramenti minister ut etiam actualem intentionem adhibeat, ita exigente devotione & reverentiâ debitâ rebus sacris ac divinis: non quod requiratur actus elicited, quo velit v. g. consecrare, distinctus ab ipso actu consecrationis; sed sufficit quod intellectus advertat actum consecrationis, & voluntas eum velit ac approbet; applicando potentiam executivam. Cæterò quin continuò dicere ore vel mente: *volo consecrare*, & similes scrupulosa reflexiones potiùs devotionem & reverentiam impediunt. Age igitur attentè quod agis, ac de illo cogita, non de extraneis, ut rectè notat Bellar. lib. 1. de Sacramentis in genere c. 27.

Bellar.

119. Sed cum in his satis conveniant Theologi, dissentiunt tamen in elucidanda natura intentionis virtualis, ut in principio conclusionis notavi. Ratio dissentionis est: quia (ut jam dixi) intentio virtualis talis esse debet, ut sufficiat ad operationem humanam; qualem utique esse Christus voluit omnem actionem sacra-

mentalem. Porro si dixerimus cum Scoto, in distracto neque inveniri intentionem primam actualem, neque aliquam aliam imperantem, v. g. consecrationem, quæ à distracto perficitur; non apparet quomodò illa consecratio sit operatio humana; quippe actio externa libera requirit attentionem & intentionem præsentem, ut sibi objicit Dòctor Subtilis supra num. 4. *si queratur (inquit) quomodo potest aliquis effectus, qui modo est, reduci in illam intentionem primam sicut in causam, si nunc non est ista intentio, neque alia imperans istum actum?*

Respondet: Dicitur, quòd est per quamdam virtutem impressam virtuti motiva, per voluntatem actualiter intendentem; & quamdiu manet illa virtus impressa, illa virtus motiva movet: ut si aliquis intenderet ire ad aliquem locum, & post in via cogitet de alijs, in illa actuali volitione fiebat actualis impressio in potentiam motivam, & quamdiu illa impressio manet, movet ad terminum volutum, & procedit homo. Paulatim autem minuitur ista impressio, & tandem desinit, & cessat homo à motu; & tunc dicitur ab istis, quòd homo non habet intentionem virtualem, nisi dum habet effectum impressum à voluntate actu intendente in potentiam aliquam inferiorem. Ita Dòctor ex Richardo hinc q. 3. art. 1. in solut. **Richardo.**

2. arg. Contra quam solutionem arguit in hæc verba: *Sed mirum videtur, quomodò voluntas possit esse virtus factiva causans talem formam in ista potentia organica; mirum est etiam, quòd si causaretur ibi, unde paulatim desiceret.*

Hinc ex propria sententia aliam subiungit explicationem, inquiens: *Potest ergo dici, quòd in appetitu sensitivo sive phantasia est aliqua dispositio, secundum quam movet, cessante actu voluntatis imperantis eis. Vel aliter ad propositum, quòd sive voluntas actu intendens aliquid relinquat in potentis inferioribus, sive non, ordinatè tamen habet suas volitiones respectu finis, & eorum, quæ sunt ad finem: & cum ad aliquam istarum pervenerit, & actum potentis inferioris correspondentis imperaverit, potest ille actus inferior imperatus manere, licet intentio nec prima nec secunda maneat: & dum manet ille actus, voluntate quantumcumque distracta dicitur manere intentio virtualis.*

Exinde ad argumentum concedit, quòd aliquis actus requiritur ad hoc, quòd effectus sit, & ille actus potest dici, quo producit effectus extra. *Sed si queratur (inquit) aliquem actum, secundum quem sit operatio immanens agenti, talem non oportet dare tunc manentem, quando effectus exterior elicitur: sicut manifestum est, quòd*

120.
Explicatio
intentionis
virtualis ex
Scoto.

multi effectus actu causantur, quando actualis motio cause agentis per intellectum, a quo producantur, non manet.

Ponit exemplum in naturalibus: Quia proiecto lapide in aqua, primus circulus est causa secundi, & sic demceps; non tamen semper manet primus quamdiu ceteri. Ita etiam universaliter in motu projectorum prius cessat pars motori propinquior, quam remota.

Hanc sententiam sequitur Suarius disp. 13. sec. 3. post 2. conclusionem. Vasq. disp. 138. n. 78. & sequentibus, ac plures alij. Lugo disp. 8. n. 87. ait: Si aliquis contendat continuari actionem sacramentalem cum solis actibus imaginativæ & appetitibus materialis, non est quod in hoc immoremur: hoc enim sufficit ad declarandum, quomodo intentio & voluntas præterita maneat virtualiter, & influat in actionem præsentem. Dicastillo disp. 3. n. 100. ait probabilior sibi videri sententiam Gabriëlis 4. dist. 6. q. 1. art. 1. notabili 3. nullam scilicet esse intentionem virtuales, quæ non sit simul actualis, & actu inhærens in voluntate respectu alicujus objecti: Sed non (inquit Gabriël) respectu eiusdem; quia est actualis respectu medij, & virtualis respectu finis, quem actu non intendit.

121.
Quam sequuntur
Suarius,
Vasquez,
&c.

Neque Scotus id negat, quem sequitur Gabriël supra conclus. 5. ipsissimis ejus verbis citatis. Sic enim concludit: Sufficit ergo in baptizante, quod aliquando habuit intentionem actualem baptizandi, ex qua descendit actus baptizandi, sive in illo actu habeat intentionem actualem baptizandi, vel non: quia forte intendit circa actum lavandi, ut est talis actus in natura, aut aliquod impertinens. Intelligendum tamen est, quod descenderit ille actus absque omni motu voluntatis contrario: sicut si induens se ad missam intendit celebrare secundum usum Romane Ecclesie, & ex illo procedat continue, forte ex aliquo habitu devotiō in phantasia cum magna distractione; ita tamen quod faciat ea, quæ necessaria sunt ad consecrationem, verè conficit Eucharistie Sacramentum. Hæc Scotus. Si ergo Dicastillo amplectitur sententiam Gabriëlis, immeritò recedit à sententia Scoti, eamque impugnat duplici argumento, uno Theologico, altero Philosophico. Expendamus utrumque.

122.
Argumentum
Dicastillo
contra
sententiam
Scoti.

Theologicum est: Virtualis intentio sufficit ad continuandum meritum & augendum illud pro ratione plurium operum, quæ fiunt ex vi præcedentis intentionis; sed sola operatio externa, consequens ex alia propter applicationem potentie executivæ, non sufficit ad meritum; ergo &c. Majorem probat: quia alioquin in oratio-

nibus, in professione religiosa, in multis alijs operibus religionis, misericordia, justitiæ cessaret meritum toto tempore, quo quis illa exercendo inculpabiliter desinit elicere expressè & explicitè actum intentionis, occupatus in attentione ipsius operis pij, quod ex tali intentione incepit agere; quod durissimum esset. Minor probatur: quia ad meritum requiritur libertas; actio autem illa externa sine ulla advertentia mentis, non magis est libera, quam si fieret à dormiente.

Respondeo ex Scoto negando Minorem; ut enim vidimus superius, existimat Doctor cum intentione virtuali hominem semper mereri, confirmans exemplo Martyris: Fortè (inquit) Martyres in actu sumendi Martyrium non habuerunt intentionem, nisi istam virtuales; quæ immensas penarum absorbebat fortè usum rationis (circa finem) ista tamen perceptio penarum erat quidam effectus derivatus ex intentione servandi fidem Dei: & ideo dum durabat passio, durabat semper ista intentio virtualiter, sicut in effectū.

Hinc ad probationem minoris dico, actionem illam externam sacramentalem, derivatam ex libera intentione conficiendi Sacramentum, sufficientem ex ea participare libertatem ad rationem meriti saltem externi, sive ad denominationem meriti; nam formalis ratio meriti (secundum communiorem sententiam) non reperitur nisi in actu interiori, qui solus formaliter est liber (prout hæc supponitur esse primus actus intentionis) adeo ut actus externus, etiam cum plena advertentia procedens ab illa intentione præsentem, per se loquendo nihil addat de merito, neque actus malus de demerito.

Quamvis igitur in illis actionibus externis distractis non sit perfectissima libertas, quæ requiritur ut actus internus voluntatis sit verè meritorius, tamen ab omnibus habentur pro actibus humanis, & denominantur merita à voluntate interna præterita perfectè libera, ex qua mediatè proveniunt.

Aliud est, ex communi hominum sensu, de actibus externis dormientium, qui non procedunt à voluntate interna præterita, ne mediatè quidem; neque aliquis judicat ipsos esse humanos, cum subjectum omnino prorsus actu humano destituatur, imò proximè ejus sit incapax; adeoque prima volitio non manet in aliquo suo effectū: vel enim homo solùm determinatur ab appetitu, vel non humano modo à voluntate, quia cum imperfecto usu intellectus, aut verius cum solo usu phantasia, quemad-

Respondeo.

Scoti.

123.

124.

Distinguitur
inter actus
internos
dormientium,
& actus
distractos.

modum bruta animalia. In homine autem distracto certum est quod & voluntas & intellectus operetur, si non circa objectum à quo distractitur, saltem circa aliquod. Et esto operaretur etiam circa actionem distractam, v. g. consecrationem, abluitionem &c. (ut vult Dicastillo) tamen adeo remissè, ut homo nequeat id scire.

Sicuti ergo illa advertentia talis qualis non sufficit ad peccatum mortale (nam reperitur in motibus secundò primis, ac varijs animi passionibus, quæ tamen, communi calculo Doctòrum, non imputantur defectu deliberationis in gravem culpam) ita etiam se solà insufficientis est ad meritum; quippe (secundum multos) tanta deliberatio requiritur ad merendum, quanta ad votendum: porro ut votum obliget (secundum communem sententiam) exigitur deliberatio requisita ad peccandum mortaliter.

125. Igitur admittenda illà exigua advertentia, adhuc recurrendum est, ut actus externus voti obliget, & ut sit meritorius, ad primam actualem volitionem perfectè deliberatam, quæ voluit se obligare Deo per externam v. g. professionem: similiter ut consecratio distracta sit meritoria; datò etiam quòd sit aliqua imperfecta libertas, recurrere debemus ad primam volitionem efficacem consecrandi per verba à Christo instituta. Si ergo illa prima volitio potest communicare consecrationi libertatem requisitam ad meritum (quam de se non habet) quando imperfectè est libera; cur non etiam quando nullo modo in se est libera in quantum actus sacramentalis, puta si homo nullam habeat omnino cogitationem Sacramenti, dummodò saltem (ut Gabriel ait) intendat circa illum actum, ut est talis actus in natura, aut aliquid impertinens?

Unde falsò Dicastillo ex sententia Gabrielis requirit tenuem illam attentionem ex parte objecti seu finis intenti, cuius certè nullibi meminit hic Auctor; quamvis etiam expressè non neget huiusmodi attentionem ordinariè adesse, sicut nec Scotus. Perfectò non satis apparet quomodò actiones subsequentes possent fieri, nisi directæ ab actuali intellectione, & consequenter imperatæ ab actuali volitione: nam phantasia sæpe non potest cognoscere rationem actionum quæ sunt, utpote dependentium à notitia intellectuali; nec est naturalis inter actiones v. g. missæ continuatio, ut una alteram necessariò sequatur.

126. Interim absolutam necessitatem non convincit argumentum propositum; præsertim cum Deus potuerit sic ordinasse, ut

minor libertas sufficeret ad meritum continuandum, quàm incipiendum; ad continuationem actus humani, quàm ad primam positionem, estque consonum sensui communi id factum esse. Enimverò omnes judicant in votis, contractibus &c. sufficere & requiri, quòd plenè deliberatè inchoentur, etsi interea evagatione mentis humanitùs semper interveniente, præsens libertas actualis operationis continuatè turbetur: quippe perseverando in actione externa priùs propòsita, manet satis idem propositum in ordine ad effectus morales; secus quàm in incidente in somnum, in quo status libertatis (ut jam sæpe dixi) velut in actu primo tollitur seu interrumpitur.

Adeoquè licèt concederemus parvam illam & confusam attentionem in homine distracto, quam requirit Dicastillo, sufficere ad meritum vitæ æternæ etiam inchoandum, ut multi docent (quamvis contrarium indicet Scotus 3. dist. 39. n. 4. ibi: *si autem fiat perivium indeliberatè, quantumcumque frequenter fiat, cum actus meritorius requiratur, quòd sit plenè humanus, & hoc est esse ex plena deliberatione &c.*) adhuc non satis clarè ostenditur necessitas ejusmodi attentionis ad valorem & meritum actionis sacramentalis continuatæ, quæ cum plena & perfectà deliberatione est inchoata, ejusmodi (inquam) attentionis præsertim circa finem Sacramenti.

Quod solùm videtur velle Scotus (ut colligo ex verbis ejus supra relatis ad calcem conclus. 6.) explicans enim intentionem virtuales, ponit exemplum peregrinantis ad S. Jacobum, confirmans exemplo Martyris. Et de primo dicit: *Ex intentione huius finis ordinat multa alia necessaria ad illum finem; exequens autem illa ordinata, non semper cogitat de S. Iacobo, nec de reverentia eius. Quis autem dubitet eum cogitare de suo itinere, in quo de facto laborat?*

Sicut laborans in vinea tota die propter mercedem ad alendam familiam, quamvis non continuò cogitet de isto fine aut de labore suo propter istum finem, indubitatè tamen advertit & vult laborem corporalem, in quo actualiter occupatur.

Similiter quamquàm Martyres propter immensitatem penarum fortè non haberint semper perfectum usum rationis, quo continuò adverterent ad finem priùs deliberatè intentum, videlicet fidem Deo servandam; non videtur tamen ordinariè ita usum rationis in ipsis fuisse extinctum, ut nullo modo adverterent ad

libertatem ad meritum continuandum, quàm incipiendum.

Admittenda sufficientia attentio tenuis ad inchoandum meritum, non ostenditur ejus necessitas ad valorem Sacramenti præsertim circa finem Sacramenti.

127. Quod solùm intendit Scotus.

Falsò Dicastillo ex sententia Gabrielis requirit tenuem illam attentionem ex parte objecti.

126. Potuit Deus convincit argumentum propositum; præsertim cum Deus potuerit sic ordinasse, ut

Qualiter vi
tormento-
rum, usu ra-
tionis sopi-
to, mereantur Marty-
res.

Scotus.

materialia tormenta, quæ patiebantur. Quod si aliquando vi tormentorum adeo usus rationis fuerit sopitus, ut essent instar dormientium, tunc eo modo meriti sunt per illas passiones, quo modo quis demeretur, qui plenè deliberatè disponit se ad fornicandam, etsi fornicatio in somno perficiatur, ut existimat Doctor Subtilis 3. dist. 15. n. 18. ibi: *Et si obijciatur, quod tunc fortis politicus non virtuosè exponit se talibus passionibus excessivis, quia in eis non potest uti virtute propter vehementiam earum, & ita privat se virtute.* Respondeo ipsum pati tales dolores, est obiectum bonum eligibile propter bonum finem: & ideo electio habens illud pro obiecto bona est adhibitis circumstantiis debitis circumstantibus eam, licet bonus actus formaliter, qui est electio voluntatis, non maneat cum talibus tormentis, passionibus coniunctis, ad quæ se exponit. Ita etiam exponens se fornicationi, si in momento summa delectationis non utatur ratione, nec per consequens voluntate; peccat tamen mortaliter exponendo se illi passioni, in qua non potest uti ratione: quemadmodum aliquis potest meritorie vel demeritorie exponere se dormitioni propter bonum finem, in qua non potest uti ratione. Itaque in illa circumstantia rerum, permissio pœnarum in Martyre potius erit effectus meriti, quàm meritum formaliter, sicuti fornicatio illa non est peccatum formaliter, sed effectus peccati.

128.

Accedit ad propositum nostrum, quod habet Doctor 2. dist. 41. n. 2. ubi assignans triplicem modum, quo actus aliquis possit referri ex charitate in finem ultimum, his verbis describit relationem virtuales: *Alto modo virtualiter, sicut ex cognitione & dilectione finis devenit ad volitionem huius entis ad finem; puta ex cognitione & dilectione Dei pertinentem ad portionem superiorem, portio inferior considerat talem actum, puta penitentiam, esse assumendum, & postea illum exequitur volendo, non tamen tunc referendo in finem, quia nec tunc actualiter cognoscitur, nec diligitur.* Similiter ergo Scotus ab intentione virtuali non separat omnem prorsus advertentiam & volitionem, sed dumtaxat advertentiam & volitionem finis, præsertim perfectam illam & omnino deliberatam, quæ fuit incipiendi seriem certarum actionum ad eundem finem conducentium.

129.

Hæc satis superque pro solutione argumenti Theologici. Examinemus Philosophicum, quod est tale: Quando operatio est tempore interrupta, non solum ab ipsa intentione, quæ in se jam cessavit, verum neque ab ipso effectu externo, qui cum tali intentione incipit, potest procedere: atqui in administratione Sacramentorum

sæpe interveniunt aut saltem possunt intervenire actiones omnino impertinentes; ergo &c.

Respondeo: tot & tam graves actiones indifferentes possent intercurre, quod intentio virtualis non maneret; ac proinde nisi prior intentio post illas actiones resumeretur, Sacramentum minimè conficeretur. Cæterum quod parum est, in moralibus pro nihilo reputatur. Porro actio Sacramentalis quamvis in rigore physica sit; non tamen nisi compositum aliquid morale, quod moraliter causat suum effectum, ex institutione & juxta voluntatem Christi. Potuit autem Christus instituire Sacramentum independentem ab intentione ministri, ergo etiam ut sufficiat intentio actualis moraliter continua, licet physicè interrupta.

Et certè ita Christum de facto instituisse, colligimus ex communi sensu Ecclesiæ, quæ expressè nunquam requisivit à ministro Sacramenti tenuem illam & confusam advertentiam. Nec mirum, cum minister (ut vult Dicast. sup. n. 100.) non discernat se operari cum tali advertentia aut intentione, ut videre (inquit) est in ijs, qui ex habitu pulsant instrumentum aliquod musicum. Nam cum artificiosè satis & perfectissimè ludant fidibus, necessariò id præstare debent cum advertentia mentis & motione voluntatis, & tamen nec in ipsa actione versantes sæpe advertunt se advertere, nec suæ advertentiæ postea recordantur.

Sed nunquid aliquando advertunt? Quis ambigat? Et nonne in somno posset quis artificiosè pulsare cytharam, legere, cantare, scribere &c? Unde igitur scit se advertere in vigilia, si non advertat se advertere?

Profectò asserendum est vel semper in homine distracto reperiri illam confusam advertentiam, vel certè quocumque aliquis distractè administravit Sacramentum, dubius erit & anxius de valore sui actus, quod magnum esset inconveniens; ut proinde non existimem Deum, qui suaviter omnia disponit, plus exigere ad valorem Sacramenti, quàm intentionem virtuales, ut Scotus & alij veteres Scholastici eam explicant, quamvis fortassis non adesset illa confusa advertentia, quam nemo scire potest se habuisse. Equidem vix dubito, si talis minister interrogaretur, quare v. g. abluit & proferat huiusmodi verba, quin statim responderet, utique ad conficiendum Sacramentum: contrarium certò certius eveniret in homine ebrio aut dormiente.

Et

Respon-
sio ad argu-
mentum
Philosophi-
cum.

130

131

132. Et hæcenus quidem de secunda divi-
sione intentionis. Sequitur tertia in inten-
tionem absolutam & conditionatam. No-
ticiam terminorum suppono; Theologis
enim scribo. Neque est Theologus, qui
dubitet de sufficientia intentionis absolute.
Et cum triplex sit conditionata, de præ-
senti, præterito & futuro, satis convenit
inter Doctores conditionatam de præsentem
& præterito ratam esse in omni Sacramen-
to; pro solo autem Matrimonio, etiam de
futuro, Sic itaque

CONCLUSIO IX.

**Omnia Sacramenta validè mi-
nistrantur sub conditione
de præsentem vel præterito:
solum Matrimonium reci-
pit conditionem de futuro,
id est, suspensivam valoris.**

133. Sacramenta debent ministrari absolute,
hoc est, sine appositione alicujus condi-
tionis extrinsecæ, id est, quæ de jure non
inest; puta: Si pater consentiat: Si es prædesti-
natus: Si Christus mortuus est pro nobis &c.)
nisi subit justa causa. Quod luculenter pro-
bat universalis praxis Ecclesiæ, à qua non
receditur saltem sine peccato veniali, sub-
inde etiam non absque peccato mortali, ut
patebit ex dicendis. Hoc prænotato

Sacramenta
valide mi-
nistrantur
sub condi-
tione de
præsentem
vel præterito
naturaliter
cognoscibi-
lii.
Juri. de
verb. oblig.

Prima pars conclusionis est communis,
intellecta de conditione naturaliter cognos-
cibili. Ratio patet: quia talis intentio con-
ditionalis transit in absolutam, juxta illud
Inst. de Verb. oblig. §. 7. *Conditiones que
ad præsens vel præteritum tempus referuntur,
aut statim infirmant obligationem, aut omnino
non differunt. Veluti: Si Titius consul fuit, vel
Si Mævius vivit, dare spondes? Nam si ea
ita non sunt, nihil valet stipulatio: sin autem ita
se habent, statim valet. Quæ enim per rerum
naturam sunt certa, non morantur obligationem,
licet apud nos incerta sint.* Ita jus civile, quo
utitur Ecclesia, nisi sacris Canonibus con-
tradicat, cap. 1. de Novi operis nuntiatione,
ibi: *Quia verò sicut leges non delignantur
sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta
Canonum Principum constitutionibus adiuvan-
tur.*

Cap. 1. de no-
vi operi nuntia-
tione.

Cap. 2. de
Baptismo.

Quia immò jus Canonicum expressè
decernit Baptismum conditionatum cap. 2.
de Baptismo, dicens: *De quibus dubium est,
an baptizati fuerint, baptizantur his verbis
præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed*

si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.
De valore ergo hujus Baptismi non est am-
bigendum.

Dubitatur autem, an valeat Sacramen-
tum sub conditione naturaliter inco-
gnoscibili? v. g. baptizat aliquis sub con-
ditione: *Si suscipiens est prædestinatus.* Quæ-
ritur (inquam) an talis Baptismus sit vali-
dus ex hypothesi, quòd suscipiens sit præ-
destinatus? Asserit Suarez disp. 13. sect. 3.
ante conclus. 4. se non invenire sufficien-
tem rationem, quæ convincat ad dicendum,
ex hac intentione in re ipsa non confici
Sacramentum, si conditio posita in re ipsa
existit, quamvis ignoretur. Censeo tamen
(inquit) imprimis talem modum esse ini-
quissimum, & gravissimum sacrilegium
continere; utique propter incertitudinem
& periculum nullitatis.

Addit, tale Sacramentum esse iterandum
(saltem sub conditione) quia & simplici-
ter dubium est, an intentio sub tali con-
ditione sit sufficiens, & saltem hæc & nunc
in tali persona est incertum, an in re ex-
istat talis conditio. Cum tamen, licet for-
tasse contingat non esse prædestinatum, ni-
hilominus baptizari debeat. Quod verum
existimat, etiam in casu, quo ex eventu
futuro constare posset de existentia condi-
tionis pro tempore Baptismi collati, puta
si conditio fuerit: *Si Deus sciat te hoc anno
victurum.* Rationem assignat: quia non de-
bet homo esse suspensus & dubius de susce-
pto Sacramento.

Sed nescio, quare hic Auctor simpliciter
dubitet de validitate istius Sacramenti, si
conditio in re existat, cum nullam adde-
rat rationem dubitandi præter incertitudi-
nem & indecentiam, quæ ex illa oritur. Et
licet propter illam indecentiam aliquibus
videatur, Christum, qui prudentissimè in-
stituit Sacramenta, non voluisse pro illo
casu valere Sacramentum; equidem facilli-
mè responderetur, multa nobis apparere im-
prudenter facta, quæ tamen in judicio Dei
sunt prudentissima.

Quid enim imprudentius apparet hu-
manæ ratiocinationi, quàm Deum homi-
nem in excelsum montem, vel in sanctam
civitatem à diabolo assumi? *Mens refugit
credere* (verba sunt S. Gregorij Papæ ho-
mil. 16. in Evangelia) *humane hoc audire
atres expavescent. Qui tamen non esse incredi-
bilia ista cognoscimus, si in illo & alia facta pen-
samus. Certè iniquorum omnium caput diabolus
est, & huius capitis membra sunt omnes iniqui.
An non diaboli membrum fuit Pilatus? an non
diaboli membra Iudei persequentes, & milites
crucifigentes Christum fuerunt? Quid ergo
mirum*

134.
An valeat
Sacramen-
tum sub
conditione
naturaliter
incognos-
cibili
Sententia
Suarez.

135.

136.
Non rectè
dubitat
Suarez de
validitate
Sacramenti,
si conditio
in re existat.

S. Grego.